

3 *Et omni centro atque intervallo circulum describere.* Tertium hoc postulatam ad secundam lineæ speciem attinet peripheriam, unde eadem opera circulus existit. Definita est utcumque peripheria 15 d 1. Atque illinc etiam hoc postulatam deducitur, ut duo prima é rectæ definitione. Instrumentum veró geometricum peripheriis & circulis faciendis est circinus: utque longitudines regula, recti anguli perpédiculo & norma, sic peripheriæ & circuli circino & fiunt & dijudicantur. Ergo ut post definitam lineam postulata illa statuenda sunt, quibus postulatur, ut liceat á puncto ad punctum rectam ducere, & ductam longius producere: ita post peripheriam definitam postulatam hoc esto, quo liceat dato puncto & intervallo peripheriam describere, & peripheriam tamen non solum planam, sed sphericam, sed fortassis etiam variam ducere. Atq; hæc tria postulata vera postulata sunt, principia nempe, quibus opus aliquod & cognitu & factu facile postulatur: duo reliqua quartum & quintum postulata non esse Geminus contra Euclidem disputaverat, neque Proclus defendit. Quo argumento motus sive Theon sive alius elementorum interpres in axiomata transtulit, fecitque numero decimum & undecimum, de his itaque tum dicitur. Quæret autem aliquis fortasse in his postulatis, cum motus ductæ, productæ, circumductæ, lineæ audierit, quomodo mathematicæ res dicantur á motu separatae & sejunctæ? cui respondendum est motus istos non físicos in materia quippe sensili, sed mathematicos in magnitudine intelligi. Habet enim mathesis suam materiam, suum motum, sed physicæ materiæ & físicos motus dissimilem. Sed jam nugatoria illa differentia convicta est, & notabilius multo illud fuerit cum fabrica lineæ rectæ præcreandæ primo & continuandæ, tunc rotundæ describendæ in principiis habeatur, ut habeatur postea fabrica spheræ, cylindri, conici, cur non etiam fabrica reliquorum schematum postuletur? Valde autem in postulatis & axiomatis occupatus est Proclus, ut differentiam doceat postulati & axiomatis. At si definiret accuratè postulatam & axioma, definitionibus duabus non solum utriusque naturam, sed alterius ab altera differentiam complecteretur. Dicamus igitur quid sit axioma. Axio-ma (ait Aristoteles) est principium per se manifestum & clarum. Itaque á Philopono αὐτόπιστον per se credibile dicitur, quodque τῶν τεχνήτων καὶ διδασκάλων ab artifice & magistro non capiatur. Proclus ait esse & ineruditis per se clarum & manifestum, rei factæ qualitatem declarans: Ideoque appellat αὐτὸν καταφανὲς, ἐνεργὴς, πρὸ χειρὸν τοῖς ἀδιδάκτοις, per se perspicuum, illustre, vel indoctis facile. Deinde axioma est contemplationis, denique theoremati proximum: sed axioma est principium, theoremata propositio: Ergo postulatam fabricatur, axioma contemplatur. Postulatam factu, axioma cognitu facile est. Hæc sunt á Proclo. Nomina tamen hæc sæpè confunduntur, & á Stoicis omnis enuntiatio axioma dicitur. Et de tota ista vanitate dictum est libro tertio. Axio-mata porrò decem Proclus enumerat. Theon duobus illis postulatis additis facit duodecim: quorum titulus est in Theone αἱ κοινὰὶ ὁμοίαι communes notitiæ, quæ definitio quædam est axiomatis. Proclus appellat axio-mata verbo non periphra-si, satisque indicat é tam longa postulati & axiomatis differentia titulum hic fuisse Axio-mata, si tamen titulus fuit, & verbum axio-matis apud Aristotelem in logica & philosophia hac de re id ipsum satis indicat.